



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 11. Tenentur-ne pueri Eucharistiam sumere, cùm ad annos discretionis pervenerint?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

cupiendæ Eucharistiæ copiâ facta , non conjiciant in apertum , aut certè probabile damnationis periculum , debent differre Communionem. Imò talibus viris in vitiosos habitus , & proximas peccandi occasiones immerfis , in ipsa Paschatis celebritate potiùs , quàm alio tempore Corporis Christi perceptio interdicienda aliquo modo videretur ; nam ad vitiosos habitus , & ad proximas peccandi occasiones , contumaciam addidere , utpotè qui observandæ quadragesimæ præceptum Fidelibus ab Ecclesia impositum , criminosa suæ salutis incuriâ violarunt. Nemo enim nescit Ecclesiam Dei omnibus passim Fidelibus observandæ quadragesimæ præceptum indixisse , ut omnes Catholici , & præsertim mortalium peccatorum sibi conscii ipsa ineunte quadragesima ritè confessi , condignis pœnitentiæ fructibus , id est , orationibus , elemosynis , jejniis , aliisque id genus pietatis operibus ad satisfaciendum , ad impetrandum , & ad promerendum divinitùs institutis , non solùm sua expiarent crimina , sed etiam vitiosos habitus malè vivendo comparatos , ex animo revellerent , & incumberent in parandas virtutes Christianas , atque ita ad dignam Communionem cum veris Fidelibus in ipsa Paschatis solemnitate celebrandam sese omni studio ac diligentia compararent.

Quod quidem præceptum cùm aliquo modo infregerint , an à viro cordato judicabuntur facilè digni , qui accedant vel in ipso Paschate ad Corpus Christi , ad cujus perceptionem (quæ maximam animi corporisque sanctimoniam , & puritatem exigit) nullam præparationem adhibuerunt.

Quæst. II. Tenentur-ne pueri Eucharistiam sumere , cùm ad annos discretionis pervenerint ?

Resp. Constat ex Divo Thoma cap. præcedenti relato, hoc præceptum non obligare pueros, nisi post perfectam dignitatis hujus Sacramenti noticiam, juxta id quod ait Apostolus: *Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat. Si autem,* ait Divus Thomas, *sunt in ætate apta ad judicandum & reverendum Corpus Domini, vel propè ætatem adultam (scilicet 12. annorum vel 11.) tunc si appareant signa reverentia & discretionis, possunt sumere, aliàs non.*

1. ad Corin-
th. cap. 11.
S. Th. 4. ad
Hann. dist. 9.
art. 4. ad 3.

Quest. 12. Est-ne ad salutem necessarium sumere Eucharistiam sub utraque specie Panis, & vini, juxta illud Christi Domini: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis?* Quæ verba innuere videntur hoc Sacramentum sub utraque specie esse sumendum?

Conc. Conf-
rantiense.
sess. 13.

Resp. Oppositum est de fide definitum in Concilio Constantiensi ubi legitur: *Licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à Fidelibus sub utraque specie: tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala, est rationabiliter introducta, quòd à conscientibus sub utraque specie, & à Laïcis tantummodò sub specie Panis suscipiatur; cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi Corpus & sanguinem tam sub specie Panis, quàm sub specie vini contineri. Quapropter dicere, quòd hanc legem & consuetudinem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum; pertinaciter asserentes oppositum, tanquam Hæretici arcendi, & graviter puniendi sunt. Item præcipimus sub pœna excommunicationis quòd nullus Presbyter com-*